









PATELINVS,

Noua Comœdia, aliàs Veterator, è vulgari lingua in Latinā traducta per Alexandrum Cōnibertum LL. doctorem, & nuper quàmdiligentissimè recognita: vt conferenti cum veteri exemplari planè noua, hoc est longè tersior latinísque auribus gratior videatur.



Patthelin (?)
K

CVM PRIVILEGIO.

PARISIIS
Imprimebat Simon Colinæus Francisco Stephano.
1543.

Ad D. Petrum Colsonum, H. Sussannæus.

TVis referre gratiam meritis parem
Colsone, vix Musæ queant.
Non ipse veterum scripta pateris optima
Obliuione conteri:
Qua non Charybdis vlla sit voracior,
Quæ litteras absorbeat.
Veterator in lucem tua solertia
Vocatur ex caligine,
Aliena publicari qua facis fide,
In vulgus emanent tua:
Bombarda metris intonans Heroïcis,
Elegísque Sphæra tinniens.

Ad Nicol. Iucundum, municipij Iucundi dominum, Io. Massetus Campanus.

IVcundum iucunda decent, iucunda iuuentus,
Qua nunc es, floret, captat, amátque ioca.
Sed non illa quidem scurrilia, fœdáque: verùm
Vtilia, vrbano nec sale sparsa minus.
Queis ludóque iubet moderato Tullius vti,
Vt somnis homines atque quiête solent.
Esse iuuentutis custos præséśque putatur
Mercurius, lepidi doctor & ipse ioci:
Eloquium cuius sequeris linguámque facetam:
Hic liber ergò tibi iure legendus erit.

IVO MORELLVS VTRIVSQVE IVRIS DOCTOR, ALEXANDRO Conniberto vtriusque iuris doctori suo obseruando auunculo, S. P. D.



Enit in manus nostras tuus ille Patelinus, quem adeò eleganti & venusto carmine donasti, vt non nisi à quadam musa, & ea quidem vna ex illis nouem sororibus omnino manasse videatur. Quicquid enim vsquam est Veneris, quicquid & iucunditatis & lepôris, in eo vno dubio procul cõcinnasti. Et præter sales qui sunt innumeri, modulatio quoq; sic titillans lectorem afficit: vt ad sese alliciat veluti ferrum vis quædã Magnesia: nec auelli sinat. Quis credidisset hominem vtriusque iuris peritissimum etiam Apollineam tam exactè callere praxim? Rarum hoc, rarum inquam nostro seculo, imò verò & priscis sæculis. Facis tu quidẽ pro ingnij tui dexteritate, qui studia tua euaries: & à grauioribus ad mansuetiores hasce musas diuertẽs animum tuum & exhilares & exornes. Hoc tibi amœnum semper fuit diuerticulum. Alij curas suas quibusdam ingenerosis ac propè seruilibus ludicris dum student recreare: magis irritant quàm mulcent. Sed hi sunt qui superiorem ætatẽ sine vllis Musis, vllóq; Apolline transegerũt: quibus nec vlla cum bonis vnquã literis inita est gratia. Nec illos Aonios nectareis riuulis semper scatentes fonticulos degustarunt. Tu istis longè

mihi dispar videris,vt qui excellentissimæ cuiqꝫ arti,& per ociũ & per occupationes quãtã sem- per potuisti operã nauasti. Quo fit,vt nũc dulcis- simis laborũ tuorũ fructib⁹ ipse fruaris. Lauda- tur Apelles(nec ab re)ꝙ nulla dies sine linea ipsi prȩteriret. At quãto venis illo magis in hoc lau dãdus, cum tibi ne hora quidẽ sine aliquo inge- nij tui fœtu prætereat? Quódqꝫ Cecilius ille de auunculo suo scriptũ reliquit:de te,mi auũcule, iure optimo dicere possum. Nanqꝫ vt ille, sic & tu arbitraris omne tẽpus perire, quod studio nõ impendatur. Et quanta illi extitit,tanta & tibi, sed adhuc maior temporis est parsimonia. Atqꝫ adeò semper aliquid grande parturis , quod ali- quando speramus, paries . Tuus hic Patelinus quoddam est specimen,atqꝫ,vt ita dixerim,præ- ludium maioris alicuius operis edendi. Sic enim optimi quiqꝫ vates suis operibus arduis præluse- runt. Illum itaqꝫ suscepi,vt impressum rursus iri curarẽ. Eóqꝫ magis,ꝙ prius Chalcographi opus defœcatissimũ suȩ ignorãtiȩ maculis aliquot in locis polluissent. Quã prouinciã libenter obiui, cùm vt in hac parte tibi nonnihil gratificarer: tũ vt quãtũ tibi debeã animo prorsus effuso,hãc nactus opportunitatem expromerẽ . Etenim te meorũ studiorũ fautorẽ semper hactenus abũdè sum expertus. Sine ope tua fateor equidẽ nõ nisi vnus ex multis forẽ. Quare õnẽ meȩ cõditionis (si qua est)successum vni tibi obseruãde mi auũ- cule acceptũ refero: & meipsum totũ:meã ope- rã:mea deniqꝫ omnia tibi & dedo,& emancipo. Vale,& nepotem tuum,vt facis,ama.

PRAEFATIO.

FRonte precor læta nostri monumenta laboris
Accipe, sed suauis est tamen ipse labor.
Nam quis id audebit durũ vocitare laborẽ,
Quod neq; cõpulsus, quódve coact⁹ agas?
Nõ me vaniloquũ, mẽdacem, nõ nebulonem,
Clamabis: nec vbi desit in orbe fides?
Innocuos illic manifestat pagina lusus:
Qui te nec repleant igne cupidineo.
Nullas hîc lachrymas emittit crede Catull⁹,
Passeris ob mortem Cinthia chara silet.
Classica nec nostro resonabunt vlla theatro
Martia: nec figet cuspide Dido latus.
Tutus nostra leges, nullo madefacta cruore
Carmina: nec Veneris illaqueata iocis.
At si vis miseros hominũ cognoscere mores,
Astutias, fraudes, carmina nostra lege.
Pingitur astutus, mulier percallida: pulchre
Personam propriam cautus vterq; gerit.

Ardet auarus, at est q surripit ecce bubulcus:
Sic miser is perdit quæque labore parat.
Conuocat hūc in ius: iudex cum reddere iura
Tentat, & ob furtum sumere supplicium,
En patronus adest vulpina veste coopertus,
Consulit agrestem verba caprina loqui.
Et quando vario complentur iudicis aures
Sermone: hic fatuus soluitur Opilio.
Sed non causidicus peccatū portat in annū:
Continuò simili plectitur arte miser.
Sic lex lata fuit, sic nostri rere parentes,
Criminis artifices fraude perire sua.
Ergò legas nostros posthac Martelle libellos.
Perlege, sæpe legas: quisq; legendo sapit.

VALE.

VETERATORIS FAbula in Latinum translata.

Veterator aduocatus, Vxor eius.

Vetera.loquitur.



Sic me iuuare iam velit Iouis soror,
Quoquo labore defatiger improbus
Faciendo vel fingēdo, quærēdo quoq;,
Profecto congregare non quimus boni
Quicquam: sed omnis nostra res elabitur.
Prò quanta dudum fama nobis in foro?
Quid verterit fortuna sese tam cito,
Videre non possum satis, nisi deos
Nobis sinistros quis fuisse dixerit.
Vx. *Pol venit isthuc nuper in mentem mihi,*
Quod me coëgit (paulum abest) ad lachrymas.
Ah quàm probatum te patronum viderim!
Nusquam sagax (vt olim) haberis hoc die.
Vet. *Id scilicet fortuna mobilis facit,*
Quæ fundit in me amaræ aquas fideliæ.
Vx. *Quid? si memor rectè siem, vidisse me*
Certò scio, quòd aduocatum te sibi
Quiuis peroptabat cliens, si quis modò
In lite speraret forensi vincere.
Quàm primum erat cœptum moueri iurgium,
Heus noster hic vicinus adsit ocyùs.

Ille artis est expertus orandi probè.
Causam fouebit callidè meam nimis.
Plerique de te omnes ferebant hæc bona.
Sed nunc quis est qui te? profectò proximis
Sex mensibus nemo petiuit, vt sibi
Ipse aduocatus adsfores: sed me hercule
Omnes ad vnum te seueras prædicant
Lites sub vlmo ventilare frondea.
Vet. Id ne? velim iactare si me, dico ego
Quòd nemo nostra est arte (quisquis is siet)
Vbi teruntur quanticunque ponderis
Causæ peritus: qui sit excussor magis
Aut litis, aut negotij cuiuspiam.
Vx. Quid istud affert commodi? quid hæc refers?
Fame perimus, squalidi, senti, obsiti
Pannis. nec vsquam ex his malis emergere
Valemus. Hem, quid scire nobis profuit
Tuum? Vete. Ha tace: per hoc caput iuro tibi.
Quid hoc? meam si intelligentiam semel
Adduxero: vt faxo meæ periculum
Prudentiæ: nobis erunt statim togæ,
Capitia, & lauti simul videbimur,
Et splendidi. Deus laborat perbreui.
Vx. Quo fiat id pacto precor tandem edoce.
Vet. Ego aduocatione vera nobilis.
Vx. Imò omnibus deceptione futilis.
Vet. Nemo quidem agendo causas est me promptior.

Vx. Fallendo sed peritior. laus hæc tibi.
Vet. Placet. Quid inde? non ea est illis quoque,
Quibus toga vndulata, aut ostro feruida?
Qui se volunt iuris videri Scæuolas,
Nec sunt tamen. Sed demus has ineptias
Silentio. Cœnam parastin? Vx. Quid malum?
Cœnam vnde, vel quid? Vet. Ohe quicquid est para.
Vx. Accumbe. Iam paratum erit quod deuores.
Comicus. Tãtum valet quantũ sapit profecto homo.
Audisse me de patre dudum iam sene
Meo recordor, nec quidem verum magis
Quidquam puto: Esto res habeas amplissimas,
Addas inexhaustam licet substantiam,
Epicureos, Phæacas omnes, denique
Rex sis age: attamen beatus non eris.
Nam quid beatum te salutem, si furis?
Si ignarus omnium bonarum es artium?
Morum bonorum nescius? vitæ modi?
Si spes, metus te angat: dolor, vel gaudium?
Fias egenus inde prorsus, & malam
In seruitutem retraharis? Hui? mihi
Cum talibus tortoribus te iactitas
Vulgo deum vel liberum? ligatus es.
Collo catenam pertrahis me hercule,
Tuos secuturam pedes, quocunque eas.
Ergo vide sis esse talem ne feras.
Præsta te eum qui saltem agas liber breuem

Vitam hanc, vel audin? faxis vt libet, nihil
Moror: via est aperta quæ monstrat tibi
Voraginem, atque quæstiones horridas
Minois: At si me roges, tibi hoc habe:
Volo vetustas litteras euoluere
Frequenter, vt prudentiam inde comparem.
Longam mihi deinceps virum vitam volo
Intus, foris: noctu, diu: procul, prope:
Postremo ad vnguem conspicari lucidis
Oculis patentibus quoque, vt quæ legero
Libris, queam re comprobare & exequi.
Quod certe habere clarius nemo potest
Quàm diligenter intuens mores virum.
Quos antea etsi viderim, posthac tamen
Videbo longe attentius de industria.

Vete. Vxor. Co.

HEus tu: omnia hæc hinc aufer ocyus. Vx. pa
rum est,
Quid auferã? Vet. iã ad nũdinas me cõfero.
Vx. Ad nũdinas? Vet. Sanè quidẽ. Vx. Quid obsecro?
Mi vir: quid illuc? Vet. Panni ibi quicquam emero.
Co. Quos audio iurgare ibi, vel de quibus
Rebus? puto sunt coniuges qui de suis
Tractant simul negotijs. Næ ego volo
Adesse, longius tamen, ne sentiant:
Vt scire possim quid sibi dissentiant.
Vete. Nobis nec vna vestis est: quæ sordida

Et trita non sit. Co. Non sat apta tempori
Isti niuoso. Vxor. Perge. Quid tum postea?
Ne vnum quidem numisma. quid mercaberis?
Co. Dixit probe. Rerum caput pecunia.
Nummis carens insulsus est: prudens qui habet.
Vet. Quid tu? sinas. pannum nisi iam videris
Nobis sit qui ambobus satis: vicinia
Me sannionem clamitet tota. Vxor. Sino.
Vet. Quis gratus est tibi color? Num luteus?
Seu Persicus? vel liuidus? cordi sedet
Mihi illud esse cognitum. Vx. Hau, qualem queas
Emungere. Ha cui creditur, non eligit.
Co. Non credo. mos is haud est creditoribus.
Vete. Tibi duas & semiulnam, tres mihi
Et semiulnam. aut pone sanè quattuor.
Ad summum erunt sex calculo. Vx. Tempus teris
Inaniter. Co. Tu computas, sed caupo abest.
Vx. Falletur à te quispiam. Vet. Nouúmne id est?
Et aucupes solent aues. eo. domi
Serua. Vx. I. nocens redibis illinc, sat scio.
Vet. Nónne est is, an non? hæsito. certe ipsus est.
Exercet officinam ibi pannariam.
Co. Istum sequar. visam quid is rerum geret.

Personæ loquuntur, Vete. Auarus merc. Co.

Vete.

ADibo salue. Aua. Et tu quoque
Sis saluus. Vete. Hem sic Iuppiter

Magnus me amet, quantum cupi
Videre te. obsecro vt vales?
Guillelme mi num sanus es?
Comicus. Non si tibi quicquam audiat.
Vet. Dic sanus es Guillelme mi?
Aua. Opinor est. Co. Nondum tenet.
Cauere scit sibi satis.
Vet. Dextram cedo. quid tu modo,
Vt sese habent nunc res tuæ?
Auarus. Sunt reculæ. Sed quantulæ
Sint, præsto (vbi voles) tibi.
Sed de tuis? Vetera. Aequè quidem
Omnino idem. Comicus. Hem, dolí pater.
Veterator. Omnes (voles si quid) tuæ.
Tu hic recreas mentem puto.
Aua. Ita est. sed audisti satis?
Non omnia ex sententia
Vbique, nobis maxime.
Vete. De mercibus quid nunc? cedo.
Non commodum magnum ferunt?
Auarus. Nec illud hercle sat scio,
Vix paululum vltra serpimus.
Veterator. Quàm doctus? ah quàm prouidus
Erat tuus quondam pater?
Parcat oro cui iam deus.
Co. Exordium quàm callidum?
Vete. Ecastor, ille sæpius

Futura abunde tempora,
Et quæ videmus nunc, mihi
Prædixit. Comicus. Hui iam eum facit
Haruspicem. Veterator. sic me dij ament,
Quàm tu, patri quis filius
Nusquam fuit qui vel magis
Similis per esset omnia,
Nares & ora. quid moror
Verbis? Bicorne hoc transeam
Mentum: nihil certe interest
Quin totus is sis. Comicus. Di boni
Verissimus gnathonicus.
Vete. Quid multa dicam? vnum hoc scio,
Qui diceret matri tuæ,
Te filium patris tui
Non esse, certe litium
Is appetens esset nimis.
Co. Ni fortè Vulcanus siet
Iunonis ortus inguine.
Vet. Miraculum. quanto magis
Te cerno: magne Iuppiter,
Eccum patrem, eccum filium.
Co. Si indemnis hodie exeas:
Romam ibo dictum protinus.
Vete. Vicine mi hic pannus mihi
Lenis videtur admodum,
Politus & tinctus noua

Arte. Comicus. Ostium iam repperit,
Quo limen intret ædium.
Id arte sanè non noua.
Aua. Confectus est gregis mei
Lanis meris. Vet. ehem alterum
A patre dicas hunc virum,
Frugalitati deditus
Totus, tibi mors ocium.
Aua. Quid vis? oportet confici
Labore, quo victum pares.
Co. Vt penè cuncti creduli
In laude propria sumus.
Vet. Sed hiccine est lana sua
Tinctus, cedo? riget velut
Aluta. Aua. Pannus optimus
Aduectus è metropoli
Normanniæ. talem dabo.
Vete. Profecto captus sum, mihi
Nec mens erat, dum cepi iter,
Habere. Sed quanto magis
Cerno, magis tanto allicit
Me. Iam necesse est ex eo
Sit coniugi & mihi toga.
Aua. In officina quicquid est,
Tuum est: licet pecunia
Omni careres. Co. Plaudite,
Sic liberale protulit

Verbum vnum auarus. Vet. Id probe
Noui, vnde gratias ago.
Aua. Vis scilicet de hoc persico.
Vet. Sic. Sed vide sodes prius
Quanti vlna constabit mihi.
Au. Vis scire verbo vno? Ve. Volo.
Aua. Pol vlna viginti tibi
Vendetur atque quattuor
Argenteis. Velis vide.
Vet. Non fiet hercle quatuor.
Quid? atque viginti simul
Argenteis? percarus est.
Aua. Tanti per hanc iuro fidem
Emi. Si habere tu cupis,
Tantum dato. Vete. Ah certe est nimis.
Aua. Pergin? abi sis insciens,
Nunc pannus est carissimus.
Vet. Ecastor, amplius nihil
Certabo, postquam res ita est,
Hanc emptionem transigo.
Vlnas fac. Aua. At quæro tibi
Quot vis habere vlnas? Vet. Volo
Sex. Aua. Hac cape. vlnas fecero.
Hic sunt scio sex, nulla abest.
Vna. hem, duæ, tres, quattuor,
Quinque: & teneto strictius.
Sex sunt. Vet. quid hoc perfracte ita?

Vltra nihil? Aua. Non sum probus?
Co. Nisi duabus rem simul
Habes: satis probum puto.
Vet. dato precor paulo amplius.
Aua. Sat est. Vete. Bene est. volo. huc eat.
Quanti cedo pecuniæ
Est tota summa? Aua. Iam scies.
Argenteos cum quatuor
Vlna atque viginti valet,
Sex iam valent francos nouem.
Vet. Hem octo aurei sunt. Aua Scilicet.
Vet. Parumper has credes mihi,
Donec meam accedas domum,
Illinc monetam proferes
Amplam, vel aurum. Co. Id ergo erit
Græcis Calendis, non prius.
Aua. Domum tuam? errarem nimis
Istac agendo iter: dato.
Vete. Dixti probe, errares. ita
Hoc illud est. Semper fugis
Occasionem vllam dari,
Vt potum eas domum meam.
At nunc apud me iam bibes.
Aua. Certe nihil quicquam ferè,
Præter vacare potui.
Age ibo, quanquam ægrè feram
Quòd credo primos maxime

¶Nummos diei. Co. Hem verbáne
Hæc dicta sunt nuperrime?
Hic dixerat pannum dare,
Quanuis ei nullus foret
Nummus. vide vt sit impudẽs
Auarus iste. quanti apud
Eum fides, nihil timet
Promittere. at si tu roges
Vbi fides verbis? ibi
Turbantur isti paululum:
Nec hos tamen quicquã pudet.
Mihi molestum credere
Primum numisma maxime
Diei. id est haruspices
Vetant. hui? auare quid mihi
Primum refers? & tertium
Sanè doles tu credere.
Auro tibi nil suauius.
Tibi deus pecunia.
Vete. Edes & anseris mei
Partem, domi qui tostus est.
Aua. I præ, sequar, mecũ ferã.
Vet. Nihil minus. me quantulũ
Grauare credis sub mea
Ala ferentem? Aua. desine,
Honestius fiet si ego
Portabo. Co. quàm mirè suam

Vterque personam gerit?
Nil nempe prætermittitur.
Vete. Non fiet. &potabitur
Abunde apud me. Credito.
Co. Caules edes si quid mihi
Credis, priusquam illuc eas.
Ne illinc reuertas ebrius.
Vete. Vah? optimus tuus pater
Tam mane, nec tam vesperi,
Transibat illac neutiquam,
Quin diceret, vicine mi
Quid dicis? aut quid tu facis?
Co. Vt destruat te Iuppiter
Pestis Gnathone nequior.
Aua. Sic fiet. ito tu prior,
Parata sint domi omnia.
Et fac vt aurum des mihi.
Vete. Aurum? quid ergo? defui
Nunquam quibus promiseram.
Aurum? illud ergo Maurum erit:
Vt pendeat quæso deos.
Hem? vendidit mihi suo
Verbo, solutio tamen
Fiet meo. Aurum postulat?
In fabrica certe est adhuc
Aurum, quod auferet mihi.
O si ille nunquam currere
Cessaret, vsque dum sibi

Soluatur istud debitum?
Lustraret orbem amplissimum.
Terram peragraret scio
Vltra columnas Herculis.
Co. Deûm fidem, quantum facit
Astutia vafra? Núnccine
Demum satis clarè patet?
Quid amplius restat? dolus?
Mundus dolos, fraudes alit.
Et vt palàm verum loquar,
Testor Iouem, non hoc volo,
Hic prorsus ex stulto facit
Insanum: eo plus prædico,
Hic ex furente beluam.
Aua. Solis nihil, Lunæ quoque
Quos aureos dabit mihi,
Annum hinc videbunt integrum,
Mi quis nisi furabitur.
Co. Flete aurei, longam nimis
Feretis eclipsim. deos
Orate vos vt quispiam
Fur subtrahat: qui è carcere
Vos mittat in lucem cito.
Sed ille callidus suam
Credo iam abijt domum. pedes
Illuc meos feram, vt sciam
Qua isti moneta debitum

Soluet, quibúsve mercibus.

Personæ. Vete. Vxor. Comicus.

Vete. loquitur.

EN vxor est ne nunc mihi? ehem num vides?
Ne nunc quidem certum est habere me? cedo
Quid me taces? Num dixerá hoc ego bene?
Qui pannus hic tibi videtur? Vxor. Hem, Aedepol,
Perij. illud est. Fallacia abs te cupiam
Ablatus est. hehen perij. quis hunc luet?
Vet. Quis hunc luet petis? solutus est. metum hunc
Depone iam. quid tu times? Vxor. Dic obsecro,
Quanti ille constabit? Vet. Nihil pro hoc debeo.
Solutus est, quiesce. Vxor. Ne nummum quidem,
Nec assem habebas. vnde? vel nummis quibus?
Vet. Profecto quantus est, solo emptus est nummo.
Vx. Nummo? Ha habe. Nũmo? qui? ineptis. nó potest.
Vet. Mihi hunc ocellum vellito sino, si habet,
Vel quicquam habebit amplius. Nunquam sciet
Deblacterare tam bene. Vxor. Et quis is? refer.
Vet. Guillelmus est quidam: tenax cognomine
Vero. Vx. Modus verò hunc habendi quis fuit
Vno asse? quóve ludo? Vete. Eo asse qui solet,
Vt sis sciens, deo dari cum venditur
Quicquam. Et scio, si non fuissem tradere
Tam presto, mansisset meus nummus mihi.
Vah: ilicet: non me dedisse pœnitet.
Egi probè. ipse cum deo istunc diuidet,

Et partientur inuicem. vel vt lubet.
Nihil quidem à me præter id quàm quod dedi
Ferent. Strepant vel clamitent quantum velint.
Nihil do. Vx. Sed qui credere istunc ausus est?
Cum tam rebellis, tam tenax senex siet?
Vet. Verbis eò redegi eum suauibus,
Vt penè gratis hunc mihi daret. mane,
Dicebam ego (quàm strennuus) tantum fuit
Eius pater defunctus & fortis pugil.
Ah frater inquam stirpe clara natus es.
Ea est tibi profecto origo quæ magis
Terris in his laudanda sit. sed maximos:
Testor deos, si non ei sit pessima
Domus, quibusque pessimis stipatus est
Regni huius, vlli si mali sint. quid moror?
Guillelme mi (inquam) quàm probe patri tuo
Similis tuus vultus? deest boni nihil.
Di quàm loquebar commode? nunc per vices
Interserebam verba de pannis suis:
Et postmodum dicebam item, mater dei
Quàm dulciter: quantum libenter mutuo
Is res suas dabat tuus bonus pater?
Tu prorsus ille es inquio. quid amplius?
Aures is arrigebat. hui. & certo scio
Quòd arido dentes patri atque filio
Auellerentur ocyus quàm crederent
Ne istuc quidem de re sua, vel dicerent

Verbum vel vnum quod foret gratum, attamen
Tantum elocutus sum diserte quòd mihi
Vlnas vides sex credidit. Vx. Quas scilicet
Nunq̄ solutas sentiet. Vet. Dubium ne id est?
Quid reddere? Ho reddetur illi Cerberus.
Sed heus, venire debet huc nunc de ansere,
Vt partem edat. scin tu quid est nobis opus
Facto? scio quòd clamitatum ibit, sibi
Quò detur argentum cito. rationem ego
Mecum optimam præuidi huic negocio.
Vt incubem meo cubili congruit,
Aegrotus essem sicuti. & dum venerit,
Illi obuiam tete dabis, tunc inquies,
Summissius loquaris oro. heheu gemens
Mœstam esse te fingens. Item inseram: me he
Heu. ęgrotat vsq; hic iam duobus mensibus,
Saltem tribus bis septimanis integris.
Et si ille dicat: ista verba sunt, modo
Apud me erat domi, inquies, ah non decet
Hic nunc iocari. seria est res. Atq; eum,
Quantum volet garrire mitte, nil quidem
Hoc præter à me habebit. Vx. Aedepol modum
Fingam probè. Vet. Solertia verò est opus.
Vx. Scio. Ve. sic iste pannus hic manebit. Vx. I
Ad lectum. Vet. Eo. Sed tu caue quid rideas.
Vx. Ah rideam? stillabo tota lachrymis.
Vete. Hoc restat ergo, vtrumque constantem fore,

Ne sentiat quicq̃. Co. Fidem magni Iouis
Hem. quid? quod inceptum? puto illi res male
Vertet. Sed ecce iam veni, iam retia
Parata sunt. accede. prenderis statim.

Personæ. Aua. Vxor. Co. Vete.

Aua. loquitur.

IAm tempus est vt ipse vicinum domi
Visam suæ: qui det mihi pecuniam.
Heus heus magister Petre. Vx. Amabo dicere
Si quid velis, hem, dicito summissius.
Aua. Hē salua sis. Vx. Sūmissius sodes. Au. Quid hoc?
V. Ah. A. dic vbi est? V. Hē: vbi esse debet. A. Quis? V.
C. q̃ vterq; cōuenit sibi? A. Dic heus vbi est? (qs? hē.
Vx. Vbi est miser? supremus ipse Iuppiter,
Id scire iam velit. cubile languidus
Asseruat, in quo affligitur tortus: velut
Martyr lacer iam septimanas vndecim.
Co. Hui q̃ probè iussum mariti perficit?
Sex septimanas iusserat dici: vndecim
Hæc dixit, augent in duplum sic fœminæ.
Aua. Quis ille tantum ægrotus? Vx. Ah queso mihi
Ignosce. Non ausim loqui sonorius.
Credo quiescit. paulum eum cepit sopor.
Inops laborat ab dolore tam graui.
Quis is? Vx. Magister Petrus, hē. Au. Quid? nō modo
Reuertit à me sex habens panni mei
Vlnas? Vx. Is obsecro? Au. Hercle nunc nuper rediit

Paulum modo extat temporis. vos me nimis
Moramini. expedite me, argentum date
Cito mihi. ludos quoque istos mittite.
Vx. Ludis ne nunc? Non garriendi tempus est.
Aua. Cedo meum argentum. Co. Tuũ? nondũ tuum.
Sed debitum tibi. Aua. Es ne stulta? atqui nouem
Libræ mihi debentur. Co. Atque in posterum,
Vt credo, debebuntur. Vx. Ha Guillelme mi,
Non nunc locus facetijs. dicteria
Tua ad tuos portato garrulos, quibus
Voles iocari. Aua. Vel deum negare ego
Possim. Co. Profecto ferreo collario
Dignus. Aua. Nisi francos habebo iam nouem.
Vx. He heu. quiesces ne hodie? non quenq; ea
Libido ridendi tenet: quæ nunc te habet,
Et garriendi. Aua. Amabo serio loquor,
Fac vt magister Petrus ad me venerit.
Vx. Male hercle res vertat tibi. totum diem
Sic gerro duces? Aua. Eho nónne intus sum ego
Apud magistrum Petrum? Vx. Ita. vt malum tibi
Sancti Maturini (tamen me salua) edat
Præcordia. ha, summissa verba tu face.
Aua. Quid hoc malum? Non audeam ipsum quærere
An sit domi? Vx. Commendo me magno Ioui,
Summissius, rogo. nisi à somno velis
Eum excitare. Co. Nónne fabula optima
Ista est? Aua. quid hoc summissius? vis vt loquar

In aures. Co. Virum solueres. Ana. Vel in imo
Puteo? vel in terræ cauerna? Co. Et in vijs.
Non audieris tunc, nisi te arundines
Prodant loquaces. Vxor. Miror vt tantum tibi
Est garruli sermonis. at tu es sic homo.
Ferendus es paulum. Ana. Vt malus dæmon rei
Intersit isti quando rem considero.
Postquam loqui summissius vis me, accipe
Quod dicam: ego non sum mouere iurgia
Assuetus, immò vito lites pessimas
Quantum queo. sed id quod est rei, vt scias
Faxo: Magister Petrus vlnas hoc die
Sex cepit à me persici panni. Vxor. Hac die
Nunquam tacebis: magnum oro Iouem tibi
Mittat malum. Co. cepit probé. probè tulit.
Ana. Vt ille nostrum pendeat coruis cibus,
Qui quippiam mentitus est. Co. Pol pasceres
Coruos statim cruce. Vxor. Ha tam apertè ludere
Vis nos? id est ne æquum? Domum certe meam
Exibis, audiendò te defessa sum.
Ana. Adeò iubes summissa verba me loqui?
Verùm tuo clamore rumpis omnia.
Co. Sanè refutat optimè, loquentia
Est fœminarum propria. Vxor. Et tu pol is es,
Qui nil nisi iurgare quæris. Ana. Heus cedo
Mihi, dehinc abibo. Vxor. Summisse precor.
Ana. Sed tute pica expergefeceris. Co. Papè!

Pica! hem? Ana. Scio illum. Co. Epitheton quam proprium
Dedit! Ana. Volo expediri. Vxor. Heu! quid? ebrius
Nonne es? vel impos mẽtis? hercle es. Ana. quid malũ?
Ego ebrius? vini parum bibi hoc die.
Vxor. Summissa verba fac, rogo. Ana. Quin tutemet
Id non facis? precor videte. audisne me?
Vah quanta pœna, habere rem cum fœminis?
Co. Sed tædiosum perferet certe is opus,
Qui lingua eis certare destinat. Ana. Mihi
Si solueretur, hinc abirem protinus.
Vete. Mea vxor heus, paulum roseæ mihi dato
Aquæ. altius leuato. stringito retro.
Hem verba surdæ semino. caudex, mihi
Vas vt bibam tradas aquosum. verrito
Plantas pedum mihi. Co. Ho, simul quamplurima
Petit. potenter fingit ægrotum. Ana. Audio
Illic eum. Vete. Aufer hinc cito gentem nigram
Hanc. Marmara carimati marimara.
Vxor. Eheu quid hoc? vt tete agis? furis, furis.
Non id vides quòd sentio monachum nigrum?
Eccum volantem hunc accipe. ha stolam dato
Ei, atat, heus. non tu vides ascendere?
Vxor. Hoc quid sit hercle miror. hem non te pudet?
Agitas profecto te nimis. Vete. Vah pocula
Medici mihi quæ tradiderunt potui,
Meme mori fecere. credere attamen
Illis oportet, cum peritè artem sciunt,

Callentque. Co. Quidni. In hac quidem sola artium
Id euenit, quòd profitenti cuilibet
Medicum se, ei pol creditur statim: licet
Mendacio in nullo fiet periculum
Maius. Aua. Mei argentum, tibi quem credidi,
Panni (magister Petre) oportet te dare.
Vete. Ha mi magister hem Ioannes in mea
Egestione frustula emisi nigra
Merdæ duo, plus dura certe quàm silex,
Rotunda vti pilæ lusoriæ.
Aliúmne clysterem iubes me sumere?
Aua. Et quid scio? quid id mea? francos nouem
Habere iam me oportet: octóve aureos.
Vete. Sed quo vocas tu nomine illos tres nigros
Soles amaros quos comedi? pilulæ
Sunt? quis cibus? profecto mandibulas mihi
Fregere prorsus. obsecro ne edam amplius.
Quicquid magister mi Ioannes, corpore
Erat meo, eiecere turbidè foras.
Aua. Vellem ipsæ tantum exire fecissent, mihi
Vt reddidissent quas peto libras nouem.
Vxor. Vt destruant hos dij supremi & infimi,
Qui obtundere (vt tu) desinunt nunquam: ocyus
hinc tu recede, quod tibi vertat malè:
Quandoquidem haud amicè abire sustines.
Aua. Genium meum iuro, meum pannum, antequam
Dimouero quoquam pedem hinc, & desinam,

Habebo vel francos nouem. Vete. Heus: & quid mea
Vrina, num monstrat tibi me proximum
Morti esse? amabo: quanta fiat hæc mora?
Ne mortem adhuc deosculer. Co. Quod osculum
Non sat voluptati tibi foret, scio.
Qui mole sis tanta inuolutus criminum.
Vxor. Abi cito. Non pol facis rectè: qui eum
Sic eneces. Aua. Quid hoc malum? eneco. cedo
Non illud est æquum modò me perdere
Sex hasce panni vlnas. Vete. Potin' merdam meam
Liquidam magister mi Ioannes reddere?
Eousque dura est, vt queam durare vix.
Vbi meum extra corpus illa emittitur.
Aua. Istuc ego curo: nouem francos date.
Vxor. Pol mente sana non es, hoc credas mihi.
Abi, quiesce paululum. multi improbi
Extemplo comminiscerentur huc mei
Causa venire te. I foras, medici ilico
Huc venerint. nolo dari hanc rem te malo.
Co. Astutiæ vide quid est in fœmina?
Aua. Eò ne sum loci redactus, vt iam vbi
Sim nesciam? hercle sic putabam, Num anserem
Igni assum habetis? Vxor. Ha petis pulchrè, cibus
Est aptus ægrotis. ita anseres tuos
Es solus, & non rideas hic nos. nimis
Es lætus, hercle & ociosus, qui huc feras
Lasciuiam istam. Aua. Oro mihi da veniam.

Pol arbitrabar istuc esse sic, adhuc
Hercle. ha, quid hoc? Co. Perplexus est. Ana. Iam illud sciam.
Certo scio quòd sex habere debeam
Vlnas in vna lamina: sed fœmina
Dirumpit isthæc funditus sensum meum.
Habuitne eas? certe. neque. hercle non potest.
Vidi ipse mortem quæ iam in extremis eum
Pungit, vel ipse fingit id. Co. Percallidè.
Ana. Profectò sic est. cepit illas hoc die,
Et collocauit sub sua ala, & post tulit.
Non ædepol fecit. quid hoc? an somnium
Me eludit? Atqui nescio. Non mos mihi
Pannos meos, vel dormiam, vigilémve ego,
Cuiquam dare. Co. Id credo satis. non vspiam
Auara mens quiescit à cupidine.
Ana. Non hercle, quantumuis mihi bene is velit.
Has sanè habet. non certè habet. credóque ita.
Cur ergo eo illuc? has habet per optimum
Et maximum Iouem. hem, mihi sic verba sunt.
Co. Vt desipit? quid possit astus, cernite.
Ana. Mihi hercle res vertat malè, id si dicere
Potis sim: vter vel iure sine iniuria
Contendit, adeò planè cæcus sum. Vete. Iam abijt.
Vxor. Tace, ille apud se nescio quid garriens
Abit quod audio. videtur gestibus
Insania plenus suis. Vete. Heus surgere hinc

Si quopiam huc reuerteret fantasmate,
Quid iuris? Co. Ito ad Bartolum, statim dabit.
Vxor. Næ id omne friuolum foret quod fecimus:
Si offenderet te stantem. adhuc istic iace.
Vete. vah quàm ille deceptus fuit pueriliter!
Tam cautus, & tam perspicax, tam callidus.
Risum abstine, si ad nos rediret, plurimum
Nocere posset, & reuersurum arbitror.
Vxor. Pol continebit qui volet, nescirem ego.

Personæ, Aua. Vxor. Vete. Com.

Auarus loquitur.

ET iuro Solem lucidum redibo iam
Ad aduocatum istunc, virum vah q̃p bonum?
Hem censeas cum videris, tristem, grauem,
Quanti precij. hem? pannum meum hercle pessimus
Penes se habet deceptor hac in platea
Nunc tradidi illi. Vxor. Rideo cum sum memor
Vt toruus ille vultu erat. Vete. Quin tu taces?
Si te semel quis audiat: certe fugam
Mallem parare: quàm hic manere vnum diem,
Tam captiosus est. Aua. Et aduocatus is
Potor bonus, creditne me stultum fore?
Co. Sed esse iam. Aua. Sic me patenter fallere?
Cruce hercle dignus est, ita vt quisquam fuit
Vnquam, nego Iouem nisi pannum meum
Habet. mihin' hos arbitratur reddere

Ludos? Hem. Co. Multum sat scio non auferet.
Sed quod minaris in diem est. iam falleris.
Aua. Heus heus quo abisti fœmina? Vx. Audijt ædepol
Me. atat. furentem crederes. vete. Simulabo me
Videre somnia. Ito ad illum illuc cito.
Vxor. Vt clamitas? Au. Quid hoc? malum rides meū?
Argentum ebo cedo. Vxor. Dei mater sacra.
Quid tu putas ridere me? nemo dolet
Certe magis quàm ego. Co. Addidissem tanquam ego.
Vxor. Iam mortuus, iam nullus est, iam certe abit.
Tam turbidum nunquam quid audisti: neque
Fantasma tale adhuc laborat somnijs.
Garrit, canit, vagatur in sermonibus
Tot, temporis nec paululum vinet: scio
Ecastor ipsa rideo & fleo simul.
Co. Absurdum id est, ridere, flere vnà simul.
Aua. Ah: nescio ridere quid sit, fleréve
Istuc: opus nunc est mihi pecunia.
Vxor. Num tute deliras adhuc mi? num tuum
Furorem iterum resumis? Aua. Audi quid siet
Vendendo ego pannos meos, huiusmodi
Non sum assuetus callidis deludier
Verbis. Quid hoc? tu vis puto me credere
Vesica quòd laterna sit. Co. Non credito.
Age. hanc tamen technam bibes damno tuo.
Vete. Sus tost la royne de guiterne
Acoup qu'elle me soit approchee,

Ie ſcay bien qu'elle eſt acouchee
De vingt & quatre Guiterneaux,
Enfans à l'abbé Diuerneaux
Il me fault eſtre ſon compere.
Co. Is Gallicus ſermo eſt, eum callet probé.
Aua. Agedum pecuniam mihi dato cito
Panni mei, quem tu tuliſti. Vxor. Non ſat eſt
He heu ſemel peccaſſe? Co. Si non denuò
Videlicet peccet? grauiſſimum ſcelus,
Qui debitum poſcat ſuum. Aua. Scin tu quid eſt?
Quid peccem in hac re, non profecto intelligo.
Sed quid? ſemel vel ſoluere, aut pœnas decet
Perpendere. At vobis eho quámnam infero
Iniuriam, ſi ad vos eam huc, vt debitum
Meum repoſcam? quid (malum) eſt iniuriæ?
Vete. Mere de Diou la coronade
Par fye ymen vol anar
Or renague biou oultre mar
Ventre de diou zen dit gigone.
Co. Hæc lingua quæ ſit, neſcio. Aua. Ah, inſanio.
Certe meum argentum mihi non reddier.
Co. Si inſanias donec tibi ſit redditum,
Inſanies ſatis diu. Aua. Precor date.
Vete. Don viens tu careſme prenant?
Van camis lief godman
Et helic becq iglughe golam
Henrien henrien cot ſclapen.

Ignoro hoc idioma: nil mihi sapit.
Au. Ah q̃ꝑ probè ægrotũ facit. Co. nihil suprá.
Vete. Orcha Renouart au tine
Be dea que ma couille est pelouse.
Elle semble vne cate pelouse
Les playes bien qu'esse qui s'ataque
A men cul, est ce ou vne vacque?
Vne mousque, ou vng escarbot?
Co. Normanus est hic sermo, sat nosci potest.
Au. Quid hic sibi vult sermo? nunq̃ꝑ ne hoc die
Cessabit hic varijs loqui sermonibus?
Saltem mihi ipse pignoris quicquam daret,
Si non meum argentum, cito hinc recederem.
Vx. Miserã me inhuman9 es, ferúsq;: quid tibi
Vis? hercle miror esse te obstinatum ita.
Vete. He par sainct Gigon tu te mens
Vual: te deu couille de Lorraine
Dieu te mette en bonne sepmaine,
Tu ne vaulx mie vng vielz nat.
Co. Istæc meo nõ est i vsu lingua. Vx. He ben.
Summum Iouem oro te iuuet. iam nunc abit.
Co. Si non abire, ex quo prius dixisti abit,
Cessasset: is iam abijsset certè longius.
Au. O sancta mater! maius vnq̃ꝑ somnium
Non vidi, vbiuis essem ego: nec credidi
Vnquam hoc die quin affuisset nundinis.
Vx. Nõ credidisti? Au. Nõ profecto. Nũc tamẽ

Cõtrarium sensi. Co. Hem iam habet, iam victus est.
Vete. Huis orbez on dronc nos badou
Digaut an tan en hol madou
Empedif dich guicebnuan
Quelz quenient ob dredocbaman.
Co. Britannicum certè esse sermonem hunc puto.
Aua. Operam dato illi te obsecro. nam nunc obit.
Vt garrit? vt balbutit? vt nunc somniat?
Vxor. Scin' tu quid est? aduenit è Britannia
Pridem sui mater patris. Nunc est ei
In ore sermo propter id Britannicus.
Au. Abit profecto. ades prope. Vx. Hem solam ne me
Linques? he heu quid de me agã? miseram me! he heu.
Sola hic anus manebo rebus omnibus
Egens? amicorum habens nihil? Co. Nihil?
Hui quantus ille planctus, & quàm mœstus est!
Quid amplius, si vera adessent funera?
Nihil scio, ni tunderet terram pede.
Aua. Mihi parce sodes. tædio vobis fui.
Sed iam recedo. tu vale. Vxor. Vt faustus dies
Hic sit tibi. hem? quid te futurum est languida?
Co. Num callidè delusus est à fœmina?
Oro vide, quid fœminæ ingenium potest!
Quid lingua! sensus proprij hinc expers abit.
Aua. Sanctam Mariam iuro, nunc rationis est
Mihi minus quàm vnquam fuit. vel diabolus
Credo meum pannum tulit. sumpta illius

Imagine, vt tentaret hercle me. deum
Summum precor ne possit vsquam tangere
Me, nec quid ad me pertinens. & postquam ita est:
Quicunque certe cepit hunc, dono do ei
Libens deo autore. Co. Hercle parua gratia est,
Seruare quod tu non queas, illud dare.
Vete. Hem quidnam ais? num fraudis artem calleo?
Abit bonus Guillelmus, illum insomnia,
Et visiones plurimæ ludent (scio)
Insomnem eum, dormire dum noctu volet.
Co. Hic verbero nequissimus dignus cruce
Id gloriatur quòd malè ipse fecerit.
Exultat in re pessima. Vxor. Emunctus fuit
Quàm pulchré! eho num orationi sedulò
Subseruij ego? Co. Non sedulò, sed callidè.
Ecastor, vt dicam id quod est, tu perprobè
Et pol supra quàm dicier potest, tuas
Egisti. habemus vel satis panni modò,
Vt inde nobis sint togæ mundissimæ.
Co. Mundissimæ? sed hercle sordidissimæ.
Nihil quidem istis vestibus scelestius.
Sed viso quid mercator ille nunc agat.

Personæ, Aua. Comicus, Opil. vxor, Vete.

Aua. loquitur.

QVid hoc? itán' deludere

Me quisque præsumpsit sibi?
Hem. sic ne quisque aufert meum?
Et quicquid istius potest
Statim arripit? sim ego miser
Rex omnium infelicium.
Co. Id omne de panno dolet
Illi. hæc ea est insania.
Aua. Et quod magis mihi dolet,
Illi ipsi agrestes rustici,
Semper quibus feci bene,
Mihi auferunt & detrahunt
Meum. Co. Ecce quid precer noui.
Aua. Non hercle me fefellerit
Impune, iam prætorium
Adibit, hem. Opil. Dies bona
Tibi sit vt bonum mi here, vesper.
Co. Quis est hic tam elegans,
Hui? Aua. Ohe uir bone hic ades,
Quàm fidus es cliens! papé.
Opil. Si illud tibi non displicet
Patrone mi: me nescio
Quis hodie apprehendit: &
Vestitus est is luteo,
Sua tenebat in manu
Tam nescio quid paruulum,
Puta caprina cauda sit,
Dixit mihi: sed non bene

Recordor esse quid potest,
Locutus est de te mihi
Citationem nescio
Quam mi patrone. Co. Mehercule,
Est perelegans politáque
Narratio, sed congrua.
Opil. Intelligo certè nihil,
Totum mihi intermiscuit.
Vnum modò, modò alterum:
Et de bidentibus, simul
Vobis quoque vnum prologum
Longum mihi fecit, mi here.
Aua. Nisi statim ante iudicem
Tete oppidò commouero,
Volo meum mergi caput
Magno mari atque turbido.
Nunquam necabis quod pecus,
Quin sis memor certe mei.
Opil. Rumoribus non credito
Malis rogo. Aua. Et post sabbati
Reddes eas vlnas mei
Panni. Co. Misellus rusticus
Pœnas luet panni istius,
Quem alter tulit. iustúmne id est?
Aua. Id dico quòd fraudaueris
Super bidentibus meis.
Opil. De quo mihi páno? ha mi here

Iratus es de quapiam
Re, præter hanc. Aua. I si sapis.
Opil. Here hercle non audeo
Quicquam, te vbi aspexi, loqui.
Co. Sic toruus est is scilicet,
Hic nempe cautus rusticus.
Aua. Apagesis, abi cito.
& si velis pone hunc diem
Lucro tibi. Opil. Sodes here
Nos transigamus inuicem,
Lites ego nolo sequi.
Aua. Recede si velis. ego
Nil transigam tecum, neque
Componam, id exequar modo,
Iudex quod hic decreuerit.
Hem. quisque me deceperit
Posthac: nisi prouidero.
Opil. Bene ergo tu vale, me nunc
Oportet vnum quærere,
Qui me sciat defendere.
Co. Nec Tulliana mehercule
Est eloquentia. Opil. Est' ne ibi
Quisque? ibo visum illuc. Ve. Atat
Pendens ego plecti volo,
Nisi reuertat huc. Vxor. Tace,
Nullus quidem: redire adhuc?
Error profecto iam foret

Peior priore. Co. Prò scelus!
Quod non timore pallido
Potest carere. Opil. Iuppiter
Tibi dato bonum diem.
Vete. Sanè & tibi: quid est? Opil. Ego
Si non eam ad diem meum
Iam nunc: me sisti conuenit,
Absentiæ ne sim reus,
Mulctáque plectar. si tibi
Mecum placet patrone mi
Venito. causam tu meam
Defende: nil intelligo,
Et soluam ego tibi benè,
Vestitus esto sim malé.
Vete. Accede tu, cedo quis es?
Actor reúsne? Opil. Nescio
Quod tute dicis, quid siet.
Co. Oh iuris isti termini,
Non rustici sunt. Vete. Dic modò
Petitor an defensor es?
Opil. Vt tu scias: habeo ipse rem
Cum quopiam valde cato
Viro, cuius suas ego
Egi diu sat pastum oues,
Seruabam eas. certe ædepol
Videbam quòd mihi parum
Soluebat. Vete. Omne dic mihi. Opil.

Tu vis ego dicam tibi?
Vete. Sic aduocato proprio
Dici necesse est omnia.
Opil. Verum illud est, & veritas
Est talis, occidi suas
Cum fustibus grossis oues,
Tantum quòd harum plurimæ
Sæpe occiderunt mortuæ,
Quanuis forent fortes, bene
Et sanæ. ego ille posteà
Vt crederet feci (cito
Ne me timens reprehenderet)
Quòd hæ cadebant mortuæ
Morbo malo anginæ malæ.
Ha dixit ipse: Tu caue
Ne istæc sit alijs amplius
Immixta. eas corrumperet
Contagione. hanc proijce.
Libenter inquam tunc here.
Sed hoc erat longè alia
Factum via. nam pol ego
Edebam eas, qui harum bene
Infirmitatem noueram.
Co. vide oro, nónne in rusticis
Fallacia & malignitas
Adsunt? Opil. Ego: sed quid adhuc
Dicam tibi? sæpiuscule

Feci istud, ac necaui ego
Tot, quòd bene ipse denique
Percepit. Et quando ipse se
Quòd falsus esset repperit,
Me fecit obseruarier,
Quia audiebant has bene
Ballare & alte: intelligis?
Quando necabam has. Ve. Pergito.
Opil. In facto ego prehensus fui,
Nunquam negare sum potis
Malum istud. Comicus. Imò pessimum.
Vete. Quid tu mihi dabis? cedo.
Opil. Argentum ego nunquam tibi
Dabo: sed aurum pol rubrum,
Corona regis in quo erit.
Vete. Tua ergo causa erit bona,
Si perdita esset hæc ferè.
Quanto magis causa est bona,
Tanto ocyus faxo malam.
Comicus. Nil Vlpianus, Scæuola,
Paulus patrono isti feret.
Leges facit solus nouas,
Grassator hercle perditus,
Tollendus è vita cito.
Albat nigra, alba denigrat.
Vete. Quod est tibi nomen? Opil. Mihin?
Vete. Ita. Opil. Hem. Theobaldus mihi

Agniculus nomen fuit.
Comicus. Nónne est adhuc? agrestis est.
Vete. Agniculus? multos enim
Agnos abegisti à grege
Hero tuo. Opil. Certe ædepol
Potest bene esse quòd tribus
Annis ei plus ter decem
Comedi. Vete. abi, laudo, probus.
Co. Laudas? probus? væ bestiæ.
Opi. Abire non adhuc volo.
Causam videbo agi meam.
Ve. Non non, mane. non hæc tibi
Dico. Co. Facetus est iocus.
Ve. Heus tu, cedo. nunquid tu eũ
Testes reperturum putas?
Hoc litis est prorsus caput.
Opi. Probationem? omnes deos
Iuro decem ipse inuenerit,
Qui testimonium sibi
In me ferant vel ilico.
Vete. Vnum id quidem est quod iam tuum
Factum potest pessundare.
Sed scisne quid facto est opus,
In ius vbi vocaberis?
Statim nihil respondeas
Nisi bee, quicquid tibi
Dicam. tenes? & si accidat

Dicatur vt tibi male:
Quid hoc (malum) est pagane, ehem
Num tute ludis iudices?
Dicas bee. ha, inquam tum ego,
Hic stultus est, putat suis
Bidentibus loqui. neque
Me nosse te fingam. heus bone
Frangant licet caput suum,
Nil præter hoc vocabulum
Os proferat tuum, caue.
Opil. Certe bene istuc fecero.
Vete. Sis firmus, & mihi quoque
Quicquid tibi dicam, caue
Respondeas quicquam secus.
Opil. Egón tibi quicquam? ædepol
Si præter hoc quid dixero,
Audacter id tu dicito,
Quód ipse ego iam insanio,
Si vnum secus dicam hoc die
Verbum tibi, vel cuiquam alij.
Co. Si quæris eloquentiam
Nouisse Romanam, huc veni.
Opi. Quicquid mihi dicant, modò
Dicam bee, quod doces.
Vete. Venito iam post me, simul
Nos ire non est vtile.
Opi. Bene hercle dicis, ne putent

Meum patronum te.I prior.
Vete.Heus tu,nisi:te deseram.
Opil.Ohe patrone mi,tibi
Faciam satis verbo è tuo.
Istuc timere desine.
Co.Scin quod sit hoc verbum?bee.sic
Ludetur ars arte altera..
Personę,Vete.Iudex.Aua.Co.Opi.

Vete loquitur.

SAlue, deus donet tibi
Illud quod optat cor tuum.
Iud.Bene hercle veneris,tege
Caput,locum sis accipe.
Vete.Ah,optime sum.gratia est
Tibi.sto alacris hic magis.
Iudex.Si litis hic quicquam fiet,
Iam proferatur,vt cito
Surgam hinc.Aua.meus iam venerit
Huc aduocatus,tunc agam.
Iudex.Non ocium certe est mihi
Diu morandi,fac agas.
Nũ tu es petitor?Au.Sũ.Iudex.Ast vbi
Defensor est?hicne ipsemet
Adest?Aua.Ita ellum,qui tacet.
Sed scit deus quid cogitet.
Co.Quis ergo scibit?eius est
Id scire.Iudex.Quando adestit hic

Coram ambo: formato tuam
Petitionem paruulam.
Aua. Ecce ego ab illo quid petam,
Res est ita, istunc vsque ego
Amore Maximi Dei
Nutriui. vbi cognoui eum
Adultum, & agris post oues
Quòd posset is discurrere,
Feci vt meus pastor foret,
Seruaret vt meum pecus.
Sed magne iudex, hoc tuum
Mihi tribunal teste sit,
Tot ipse mutones mihi,
Oues tot absorpsit: quòd is.
Iudex. Ebo parumper. an tibi
Operas locauerat suas?
Vete. Verum est. an illi rusticus
Negociabitur sine
Conductione? Aua. Hem possim ego
Deum negare, ni tu is es.
Iudex. Vt sustines alte manum,
Quid hoc magister Petre? ebo
Dentes tibi dolent? Vete. Ita,
Tale inferunt bellum mihi,
Vt passus vnquam non sim ego
Morbi furorem tam grauem.
Non ausim enim os attollere.

Amabo procedant face.
Iudex. Heus perge causam dicere,
Conclude quàm primum. Aua. edepol.
Is est. crucem sanctissimam,
Qua passus est Christus, modo
Iuro ni is es cui vendidi
Vlnas magister Petre, sex
Panni. Iudex. Quid ille blacterat
De panno? Vete. oberrat. nititur
Venire ad inceptum suum,
sed peruenire non potest.
Aua. Sic destruat me Iuppiter
Altissimus, nisi tu habes.
Iudex. Quid tute deliras, malum?
Profecto nostram curiam
Deblacterationibus
Totam reples & occupas.
Heus ad bidentes iam redi.
Quid postea factum est? Aua. abstulit
Profecto sex vlnas nouem
Francis. Iudex. Eho tún' nos putas
Dignos, quibus tantum pares
Cachinnum? vbi credis, cedo
Tete esse? Vete. Aperte me hercule
Illudit in te. Oro vide
Quantum est probo vultu. sed heus
Aequum est vt aduersarius

Interrogetur paululum.
Iudex. Dictum optime est, sic censeo.
Cognoscit ille quippiam
De istac re? Eho huc accede tu.
Cedo quid est id? Opil. Bee. Iudex. Ehem
Vt Iuppiter febrem tibi
Quartanam ab alto mittere
Velit, quid hoc? ludis ne me?
Co. Facetius vidi nihil
Vnq̃. Aua. Nego deum, nisi
Tu is es qui habes pannũ meũ.
Co. Ecce alter autem aduertite
Vos quæso paulo attentius.
Au. Iudex bone, ha qua istic fuit
Fallacia si tu scias?
Iudex. Tace tu, ineptis, mittito
Nunc istuc accessorium,
De principali dicito
Negotio. Aua. Iam dixero,
Istic bonus pastor meus
Ruri esse vbi debebat, is
Dixit mihi sex aureos
Daturum, vbi venissem ego.
Ah dico, ab hinc annis tribus
Pastor meus fidem mihi
Dedit: quòd ipse oues meas
Seruaret & fideliter

Et ſedulo.nec quodpiam
Inferret is damnum mihi.
In his modo negat tamen
Pannum,pecuniam quoque
Plauè.Ha magiſter Petre itán
Decet? Co.Libellum certe ego
Iſti parem quòd viderim
Vnquam memor non ſum.ſed heus,
Quis tam peritus iuris eſt,
Qui poſſet hunc euoluere?
Eſt credo quartus prologus
Permixtus ex primis tribus.
Ana.Hic furcifer nequam mihi
Furto mearum ſuſtulit
Lanas bidentum.ipſas quoque
Oues mori non morbidas.
Coëgit:illis imprimens
Magnos cerebro fuſtium
Ictus.Vbi pannus meus
Sua fuit ſub ala,ibi
Abire cœpit percito
Dicens mihi:heus domũ meam
Venito quæſitum hoc die
Sex aureos.Iudex.Nec ſenſus eſt
Vllus profecto,nec modus
In omnibus quæ dixeris.
Interſeris de vno modo:

Nunc de altero. vt verum tibi
Dicam: iste nil mihi sapit
Sermo tuus totus. Auarus. tamen
Scio: ipse habet. Iudex. Quid ipse habet?
Veterator. Misellus iste rusticus
Est instruendus paululum,
Duras ei partes daret.
Co. Satis profecto instructus est?
Vete. Si iusseris me, id fecero.
Iudex. Res friget illic, paruulus
Est quæstus ille. Vet. Ego quoque
Expostulo mihi nihil,
Amore fiat id dei.
Co. Sed vnius certe aurei.
Vete. Visam ergo si quid dicere
Volet mihi. heus veni. tuum
Narra mihi negotium.
Opi. Bee. Ve. Quid (malū) bee? stultus es.
Dic quid tibi cum illo rei est?
Opil. Bee. Vete. Quid bee? audin hic tuas
Ballare oues? res hæc tua.
Attende sis. Opil. Bee. Vete. dic age.
Ita esse, vel non. mirum id est.
Sic semper inquies? Opil. Bee. Vete. Eho
Aliud nisi dicas, graues.
Tibi imminent sumptus, scio.
Opil. Bee. Vete. Aecastor est stultus magis

Qui huiusmodi lite implicat
Stultum.bidentibus putat
Loqui.remittas statim oues
Eum ad suas.Natura is est
Stultus,patet.Aua.Quid stultus est?
Est ædepol sagacior
Quàm tu.Vete.Remitte eum suas
Seruatum oues.Sed certe ita vt
Nunquam reuertat.hunc quidem
Perdant dei qui huiusmodi
In ius vocat,vocaréve
Stultos facit.Aua.Quid?illéne
Abibit antequam audiar?
Iudex.Sic hercle,quando stultus est.
Quid ni?Aua.Oro me prius sinas
Concludere.haud nugas quidem,
Vel fabulas dicam tibi.
Vete.Amabo ei silentium
Impone.Num te quid pudet
Certare tantum huic rustico?
Aua.Profecto pannum habes meum,
Sermo tuus,vultus,toga,
Reddunt mihi te cognitum.
Vete.Hui pro tribus vel quattuor
Bidentibus pol squalidis
Clamore pulsat sidera?
Quid clamitaret altius,

Si nunc ruat cælum? Co. ædepol
Omnes aues captæ forent.
Aua. Ah de bidentibus nihil
Loquor, tibi quidem loquor
Natalem ego iuro dei:
Reddes. Iudex. Acu rem scilicet
Tetigit. an hic vnquam hoc die
Cessabit? Aua. iste sustulit
Furto meum pannum mihi
Sermone dulci. Co. non quidem
Furtum est: volente te hoc fuit,
Sed id fuit dolo malo.
Vete. Furtón? ego de iniuria
Protestor. audis tu bene?
Aua. Receptor hercle nobilis.
Vete. Tacere fac sis, me hercule
Deblacteratum est iam satis.
Sex (esto) oues occiderit,
Septem vel octo vel decem,
Et ederit. Quàm pauper es
Factus magis? vel reprime
Tandem tuam iracundiam.
Aua. Verùm bene est dictum, probe:
Quando loquor de panno ei,
Contrà de ouili verba dat.
Comicus: Dat verba: quippe decipit.
Aua. Atque hoc quidem haud iniuria

Mihi obtigit. Tam callido,
Tam subtili pannum meum
Me credidisse? heus postulo.
Iudex. Audi tu, ego profecto eum
Absoluo ab illo quod petis.
Edico item, ne in posterum
Vexes eum. tu abi, neque
Vnquam reuerte: apparitor
Quicunque te te in ius vocet.
Vete. Heus præsto gratias age
Opi. Bee. Iu. Népe monstras optimè
Qui vir sies, qui litibus
Stultū implicas. Au. Iustū ne id est
Sic illum abire? Iudex. Ab alia pol
Res est mihi. Ambo garruli
Vos maximi estis. Comicus. Non satis
Vterque dat spectaculi.
Auarus. Atqui pecuniam quia
Non reddis aut pannum mihi,
Dono tibi. Vetera. istanc gratiam
Reddam tibi semel parem.

Personæ, Vete. Opil. Comicus.

Vete. loquitur.

ABiere iam: ánne callide deulci eos?
Quid maius astu? dic Agnicule heus tu.
Opil. Bee.
Vete. Ehodum tua nónne res hodie cessit tibi

Pulchrè? Opil. Bee. Vete. Iam recessit aduersarius:
Istuc bee mitte: iam omnis est res in vado:
Sed dic mihi iam, nónne consilium, tua
Vt res erat, perquàm bonum dedi tibi?
Op. Bee. Ve. Heus metū omnē pone iam, nemo audiet,
Effare tuto. Opil. Bee. Vete: Cedo argentum mihi,
Me tempus est abire. Co. Quónam gentium
Euadet istuc? Op. Bee. Ve. Tibi vt dicam id quod est,
Probè tuam egisti ædepol personam, & is
Quód ocyus fugatus est ad retia,
Id pol fuit quód continebas fortiter
Risum. Opil. Bee. Quid bee? non opus dicto amplius
Ita est, benigne & comiter soluas. Co: Quid hoc?
Hem, comiter quantum voles, habes tamen.
Opil. Bee. Vete. Quid bee tu? secus loquaris. tum mihi
Soluas, abibo postmodum. Opi. Bee. Ve. Scin' quid est?
Mihi obsecro soluas, nec istud amplius
Dicas bee: idem piget me audire sæpius.
Dato. Opil. Bee. vete. Méne ludis? haud aliud dabis?
Certe ædepol solues mihi iam nunc nisi
Volaueris. Co. Tibi ergo soluet. Icarus
Non est. ve. Cedo argentum. Op. Bee. Vete. Hem garris? Quid hoc?
Aliud nihil feram? Op. Bee. Ve. Heus Rhythmū facis
In prosa. Co. Iambi sunt pedes, non est prosa.
Opil. Bee. Ve. Quid bee? furcifer quem credis ludere?
Quid? aureos eras etiam mi pollicens

Montes. Modò promissa fac appareant.
Op. Bee. Ve. Sic mihi das esse de ansere? Co. Ecquid tu
Daret tibi bibendum idem quod poculum
Alijs dedisti? Vete. Quid (malum) hoc est? tam diu
Vixin, vt vnus pastor, vnus laniger
Muto toga vestitus humana. Co. Toga?
Romana non est hæc toga. Vete. Vnus denique
Paganus hercle squalidus me irrideat?
Opil. Bee. Vete. Nilne præter hoc dices? si istuc facis
Iocando, dic. ne sis molestus amplius.
Mecum veni ad cœnā domum. Op. Bee. Ve. Pol facis
Iure. Co. Edepol nil fecit vnquam iustius.
Vete. Parui anseres magnos agent ad pascua.
Ehem omnium quot hercle viuunt vspiam
Hic atque vbiq; callidorum pol virum,
Itémque eorum verba qui solent dare,
Fallacium insuper cauillatorum, ego:
Pro debitis: magna hercle iudicij die
Hæc soluere expectantium: horum inquam omnium
Pol me arbitrabar esse callidissimum.
Co. Malignitatem oro vide huius belluæ.
Fallax, ferus, damnosa pestis, impius.
Vet. Et nunc agrestis pastor est me astutior,
Fefellit is me callide. Co. vicisti, abi.
Vete. Ecastor ipse vnum apparitorem modò
Si offenderem, statim iuberem te capi.
Opi. Bee. Vete. Hem bee, ipse collo pendeam, nisi

Faxo huc venire apparitorem iam, & malè
Res vertat illi oro deos: ni in carcerem
Te mittat. Opil. Hui. sic opto si me inuenerit.
Co. Quid fabula hæc sibi velit non arbitror
Dicto esse opus, vobis quod est sat cognitum.
Agendo partim nostis id, partim ingenij
Sagacitate vestri. quòd sciam & rear,
Cuiusque vitam discutit probissimè,
Ea hic notata est. quid super? nihil quidem.
Nisi esse fraudes maximas in quolibet
Statu virûm. illud aduocati, id rustici,
Qui simplices olim fuere, comprobant.
Nec vos quidem quicquam secùs de cæteris
Vitæ modis existimetis. huc redeunt
Omnes. ab vno crimine omnes discite.
Sed quæso num bonum illud est de rustico,
Qui istum fefellit callidum tam callidè,
Dolo ipsius? quàm commodè iugulatus est
Gladio suo? stultum illud admodum puto,
Fraudem alteri parare qua tandem ipse sis
Acceptus. Hem quàm verum id est: quámque elegans?
Diuinum opinor: non est lex æquior vlla,
  Quàm necis artifices fraude perire sua.
Si menda vestras forsan aures læserit
(Vt sat puto læsisse eas, nec paululum)
Vestræ benignitatis est ignoscere
Rerum iuuentuti imperitæ, quo magis

Alacriter vestris seruire commodis
Posthac queat. valete. laus summo Deo.

PATELINI, SEV Veteratoris fabulæ FINIS.

1543.

(.:.)

b. L. poets Dr. lat.

